



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. XXXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

tenis illaqueatus trahebar in nihilum, & sciens prudensque ad interitum ruebam voluntarium ; voluntarium, inquam, quia, nisi mea voluntas, ob peccatum infirmissima, assensionem suam præbuisset, non issem absque fortitudine ante faciem subsequentis. O miserum & infelicem statum meum ! acerbissimo servitutis iugo me premi sentiebam. quid multa ? pudebat me ; dolebam, ingemiscebam ; neque liberum ab eo collum subtrahebam. Horrebam ac detestabar dulce illud amarum, unde peribam ; & simul eidem avide inhiabam. Statuebam, pestiferum illud mortis poculum à labris meis dimovere ; & simul cogitabam, quomodo in me illud ingurgitarem. meditabar, ea, quæ me tibi præeriperent, à me repellere ; ac simul metuebam misere, ab eisdem ne desererer. adeant purissimæ consolationes tuæ, quæ superant omnem sensum ; meque ad impuras ac, me ipso judice, amaras voluptates convertebam. aridæ factæ erant siti fauces meæ ; &, cum paratum haberem unde biberem, nimirum te fontem aquarium viventium, ubi ita sitim explorem, ut non sitirem iterum, attamen lubebat configere ad terram aridam, desertam, nullaque aquarium inductione irriguam.

## C A P. XXXIV.

**Q**uid hoc morbi est ? tantane peccato vis inest, ut hominem, sibi addictum, tam acerbe ac crudeliter habeat, ut hac illac distractum, quo cunque libeat, tanquam pecudem attrahat ? Sed tu, Domine Deus meus, qui etiam in ira misereris, cogitationes mihi quas dā immittcas, quas si apprehenderem, educeres de